



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 163. Vtrum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

re de factō miscetur meretrici, fit vna caro cum meretrice, vt docet Apostolus 1. ad Cor, 6. ergo non solum iustus, dum iure, & dignè, sed etiam peccator, dum sine vilo iure, & indignè sumit eucharistiam, fit vna caro cum Christo. Concedit consequentiam Hofelanus lib. de Præsentia corporis Christi, cap. 2. Sed rejicitur à Vasquez, alijsque communiter. Nā præterquam quod est absurdum, quod Christus fiat vna caro cum peccatore, sequitur, quod cum species comeduntur à mure, vel alia bestia, Christus fiat vna caro cum mure,

11. Respondeo igitur, negando consequentiam. Ad hoc enim, vt per coniunctionem duo fiant moraliter vna caro, & vnum corpus, requiritur, vt coniungantur ex vi amoris mutui; si autem coniungantur sine mutuo amore, coniunguntur merè materialiter, ac non fiunt vna caro; sed qui coniungitur meretrici, coniungitur cum illa ex vi amoris mutui; ergo fit moraliter vna caro cum meretrice. E conuerso cum eucharistia sumitur à peccatore, non fit coniunctio Christi cum peccatore ex vi amoris mutui, cum neque Christus amet peccatorem, nec peccator amet Christum; ergo Christus non fit moraliter vna caro cum peccatore, sed solum cum iustis, cum peccatore autem vnitur solum materialiter, & localiter, sicut cum mure, vel bestia. Confirmatur solutio. Nam si quis per vim constupret virginem, & cum illa coniungatur, non fit vna caro cū illa, quia nō coniungitur illi ex vi amoris mutui; ergo à pari. Videri potest Vasq. citata disp. 204. cap. 3.

12. Infertur primo sacramentum eucharistiæ meritò à Sanctis Patribus vocari synaxim, seu communionem siquidem habet virtutem nos vniendi cum Christo non solo affectu charitatis, vt alia sacramenta, sed vniōne vera, & reali, vt explicatum est.

13. Infertur secundò merito eosdem Patres dixisse per sumptionem eucharistiæ carnem nostram ad immortalitatem, & resurrectionem præparari, vt locis citatis dicunt Chrysostomus, & Cyrillus, nec non Irenæus lib. 4. aduersus Hæreses cap. 24. & lib. 5. cap. 2. & Nyssenus oratione, quæ dicitur Cathedethica, cap. 37. & alij. Ratio est, quia cum caro nostra per sumptionem eucharistiæ fiat caro Christi, accipit ius speciale ad hoc, vt resurgat, & accipiat immortalitatem, sicut caro Christi resurrexit, & immortalitatem accepit. Ideo effectus specialis eucharistiæ est non solum vita æterna, hoc est beatitudo animæ, sed etiam vita æterna, & immortalitas corporis. Ideo dicitur etiam ab Ecclesia *Pignus, siue arba immortalitatis*.

14. Infertur tertio vniōnem hanc carnis nostræ cum carne Christi vocari à Patribus essentialem, & naturalem, non quia caro nostra fiat essentia, & vna natura cum carne Christi, sed quia coniungitur cum carne Christi re ipsa, & non sola cogitatione, &

affectu: sicut vniō duarum naturarum cum Christo vocatur ab iisdem Patribus essentialis, & naturalis, non quia ex duabus naturis essentialibus fiat vna natura, & essentia, sed quia verè, & realiter vniuntur.

15. Opponitur: Auctor Sermonis de Cena Domini apud Cyprianum dicit: *Fidei nostra infirmitas edocetur visibilibus sacramentis in se vite æternæ effectum, & non tam corporali quam spiritali transitione Christo nos vniri, & in vitam nostram, & ipsius coniunctio non miscet Personas, vniri substantias, sed affectus consociat, & consociat voluntates*. Damascenus etiam lib. 4. de fide, cap. 14. loquens de eadem coniunctione dicit: *Ex voluntate quippe coniunctio hæc existit, non autem contra animi nostri sententiam*; ergo illi Patres docent eucharistiam causare solum vniōnem affectiuam. Dicendum, quod illi Patres solum negant fieri transmutationem realem carnis nostræ in carnem Christi, realem carnis Christi in nostram, proportionalem illi, qua cibus physicè conuertitur in substantiam aliam, non autem negant fieri vniōnem illam, quam nos explicauimus.

TRACTATUS XXII.

De usu Eucharistiæ, ac de dispositione requisita ad sumendam Eucharistiam.

QVAESTIO CLXIII.

Virum distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi?

S. Th. qu. 80. art. 1.

1. **R**espondet S. Thomas debere distinguere. *Glossa enim super illud ad Cor. 11. Qui manducat, & bibit indignè, dicit. Dnos modos esse modos manducandi, vnum sacramentalem, & alium spirituales. Ratio est, quia dupliciter sumere possumus eucharistiam; primò ita, vt sumamus dignè, adeoque recipiamus eius effectum, & fructum; secundo vt recipiamus indignè, adeoque vt non recipiamus effectum, & fructum eucharistiæ; sed cum ita recipimus eucharistiam, vt recipiamus eius effectum, & fructum, qui est finis sacramenti, recipimus illam perfectè: cum recipimus sine fructu propter impedimentum ex parte nostra, recipimus imperfectè; ergo eucharistiam possumus recipere perfectè, vel imperfectè; sed receptio, qua recipimus eucharistiam imperfectè, & sine fructu, dicitur sacramentalis tantum: receptio, qua recipitur perfectè, & cum fructu, dicitur spiritalis, quæ per illam Christo spiritaliter coniungimur per fidem, & charitatem: ergo &c.*

2. *Quærit potest primò, vtrum etiam*

primus, & alia sacramenta possint sumi, vel sacramentaliter tantum, & sine fructu, vel spiritualiter, & cum fructu.

Respondet affirmatiuè S. Tho. in respons. ad 1. Addit, quod datur tamen quoad hoc aliqua differentia inter varia sacramenta. Primo enim sacramenta, quæ conferunt characterem, cuiusmodi sunt baptisimus, confirmatio, & ordo, non possunt sumi sacramentaliter tantum, ita ut non conferant vllum effectum secundarium, hoc est characterem. Secundò sacramenta, quæ remoto obice, conferunt suum effectum primarium, hoc est gratiam, non possunt ita sumi validè, vt non accipiatur ius ad recipiendam gratiam, remoto obice, quod ius est quidam effectus spiritualis tallium sacramentorum. Tertio si sacramentum penitentia non potest esse validum, & informe, non potest sumi sacramentaliter tantum, hoc est ita, vt non conferat suum effectum primarium gratia. Ex his sequitur solam eucharistiam posse sumi sacramentaliter tantum, ita vt nullum conferat effectum spirituale, neque primarium, hoc est gratiam, neque secundarium, hoc est characterem, vel ius ad gratiam, remoto obice.

3. Quæri potest secundo, vtrum sumptio sacramentalis, & spiritualis possint mutuo separari?

Respondet affirmatiuè D. Thomas in respons. ad 3. Nam sicut baptisimus potest sumi, vel sacramentaliter tantum, vel spiritualiter tantum, hoc est in solo voto, & desiderio, ita vt habeatur fructus baptisimi, vt dictum est qu. 66. art. 11. quæst. 68. artic. 1. qu. 73. art. 1. sic eucharistia potest sumi spiritualiter tantum, hoc est solo voto, & desiderio, ita vt habeatur fructus ipsius. Duplitter autem potest sumi in voto: primo per votum, & desiderium sumendi eucharistiam iam institutam: secundo sumendo figuram eucharistia, antequam institueretur, eo pacto, quo Apostolus 1 ad Cor. 10. dicit de antiquis Patribus, *Quod baptizati sunt in nube, & in mari, & quod spirituales escam manducauerunt, & spirituales potum biberunt.* Licet fructus eucharistia possit haberi per manducationem purè spirituales, non est frustranea manducatio sacramentalis, quia per manducationem spirituales simul, & sacramentalè maior eucharistia fructus percipitur, quam per spirituales tantum.

4. Ex dictis patet S. Thomam distinguere non duos tantum, sed tres modos sumendi eucharistiam, vt cum doctrina communi Patrum, & Theologorum docet Tridentinum sess. 13. cap. 8. Triplex igitur est modus, & ratio recipiendi, & manducandi sacramentum eucharistia. Primus est spiritualis tantum: secundus est sacramentalis tantum: tertius est spiritualis simul, & sacramentalis. Manducatio spiritualis tantum est, per quam quis voto tantum, & desiderio celestem panem illum edens, fide viuâ, quæ per

dilectionem operatur, eius fructum, & vtilitatem sentit. Manducatio sacramentalis tantum est, per quam peccatores corpus Christi manducant indignè, ideoque sacramentum idem sumunt, sed eius fructum, & effectum non percipiunt. Manducatio spiritualis simul, & sacramentalis est, per quam quis non voto tantum, & desiderio, sed re ipsa dignè eucharistiam sumit, adeoque non solum recipit sacramentum, sed etiam effectum, & fructum sacramenti. Manducatio sacramentalis tantum est imperfecta. Ratio est, quia imperfectio manducationis desumitur ex fine; sed qui manducat sacramentaliter tantum, non recipit fructum, qui est finis sacramenti; ergo &c. Manducatio spiritualis est perfecta, quia per illam recipitur effectus, & finis sacramenti; sed manducatio spiritualis, & sacramentalis est perfectior, quia posita æquali dispositione, recipiendo sacramentum re ipsa, accipimus maiorem gratiam, quam recipiendo sacramentum solum in voto: siquidem recipiendo sacramentum solum in voto recipimus solum gratiam ex opere operantis; at recipiendo sacramentum re ipsa, recipimus etiam gratiam ex opere operato.

QVÆSTIO CLXIV.

Vtrum solius hominis sit sacramentum spiritualiter sumere?

S. Thomas quæst. 80. art. 2.

1. Respondet S. Thomas, quod si propriè loquamur, soli homines, non autem Angeli possunt spiritualiter manducare sacramentum eucharistia. Probat: nam propriè loquendo, manducatio spiritualis huius sacramenti consistit in hoc, vt fide viuâ credentes in ipsum, desiderio illud sacramentaliter sumendi, percipiamus fructum ipsius, hoc est gratiam; sed soli homines viuâ fide credentes in hoc sacramentum, desiderio illud sumendi recipiunt fructum eucharistia: Angeli autem non habent fidem huius sacramenti, sed vident Christum in propria specie; ergo &c.

2. Addit S. Thomas, quod licet Angeli non manducant spiritualiter Christum sub specie sacramenti, tamen manducant spiritualiter Christum in propria specie. Ratio est, quia sicut Christus sub specie sacramenti manducatur spiritualiter per fidem, sic in propria specie manducatur spiritualiter per visionem, & amorem beatificum; sed Angeli vident Christum in propria specie per visionem beatificam, eique per amorem beatificum vniuntur: ergo Angeli manducant Christum in propria specie, ideoque Christus dicitur panis Angelorum, & hunc panem, quem nos in hac vita spiritualiter manducamus per fidem in specie sacramenti, ex-

Q q pectamus